DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.
QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die jovis undecimâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. NATALI-MARIA DE GEVIGLAND, Regiorum in Germaniâ Duc. & Militum Noſocomiorum nuper Medico, Doctore Medico, Præſide.

An tabaco per nares ſumpto ſubſtitui poſſit coffe pulveratum?



SANITATEM à libero functionum exercitio pendentem tueri, roborare, reſtituere medicinæ votum & finis. Sed ab iſto quod natura monſtrat itinere, ſemper aberravit cum aliis ſociatus & quaſi domeſticus homo. Ruri corpus, mens in urbibus nimium defatigatur; quos indefeſſum urget opus, fugit ſemper amica quies; nec eadem unquàm proportione congeruntur neceſſitates & commoda; mollitiæ ſtruunt aras. Quod pulchrum, quia bonum eſt, foràs ejicitur; nec laudatur quidquam, niſi juſſerint animi levitas novitatumque ſollicitudo. Tantâ autem in depravatione rerum quid aget Medicus? Omnia nè vitia ſimul eradicare tentabit? Non videtur. Sed potiùs cum ſingulis cautè mercandum. Jamjàm eſt quod felicia ſperemus. Faſciis involuti non ampliùs torquentur infantes; farinæ moles indigeſta ab ipſorum debili ſtomacho plerumque arcetur; maternisque admoventur uberibus: gymnaſtica reſtituitur: inſeruntur variolæ. Tòt autem inter emolumenta quæ ſalutaribus debentur medicinæ conſiliis, cur inconcuſſus Nicotianæ maneret abuſus, quaſi nil opponere poſſet Medicorum ſagacitas?

Sed futiles quamvis legitimas invectiones ageret Medicus in talem abuſum, quem aſtutiâ potiùs quàm apertâ vi deſtruat. Cur enim tàm latè diffunditur? Pauci totis naribus tabacum trahunt; plurimi verò deauratis in pyxidibus periculoſum condunt pulverem. Clàm, ſin odio, ſaltem amore non proſequntur: palàm verò profitentur ambitiosè. Sic enim apud mulierculas & homontiones inania voluptatum & ambitionis ſupellectilia ſanitati ſemper antè habita fuere. Tali verò gloriolæ ſi nil concedas, vincet illa fruſtraque clamitabit Medicus. Taba-

cum ergò prohibeatur, sed superbis vanitatum ornamentis parcamus oportet. Quid ni verò pixides ubique vacuas ostentabunt ? nullatenus. Quisnam igitur pulvis tabaccino substituetur ? Plurimi supplere possunt. Sed inter omnes nullum vel jucunditate, vel utilitate caffe superare constabit, postquam tabaci pericula sufficienter adumbraverimus.

I I.

NICOTIANA cujus tres sunt species ex americis plagis oriunda, nunc apud Gallos,& in Europâ facilè crescit & colitur. *Piceu* dicitur in indis omnibus. In Hispaniâ & Lusitaniâ viridis semper sobolescit. Terrâ delectatur humidâ & pingui. Gustus inest acris & urens. Odore penetranti tota spargitur planta ; analisique suppeditat spiritum rectorem quemdam, oleum & sal acre volatile & fixum.

Quot adversarios, tot etiam habet deffensores tabacum. De ipso mira pessimaque prædicarunt. inter celebriores de hac-ce plantâ scriptores annumerandi veniunt Magnerus, Evrard, Cahausen, Schriverius, Bartholinus, Simon-Pauli,Jacobusque II Anglorum Rex. Plures etiam contra ipsius usum propugnatæ fuerunt theses, inter quas non infimum tenet locum celebris illa clar. Fagon cujus nasus & præcepta nullatenus consonabant.

Nicotianæ dotes eximias pluribus in casibus negare quis ausit? Emesim & alvi fluxum violenter ciet : & sic Epilepticos, testante Ludovic, sanavit in Germaniâ. Virtute spoliatum emeticâ potenter incidit ; nec ideò venit in usum sat frequentem sirupus Quercetani. Si per anum injiciantur ipsius vapores tunc aquis submersi vitæ redduntur, herniæ curantur, fugantur paralises. Masticatum apoflegmatisantis optimi vices gerit. Tractumque per nares humida dissolvit, spiritus excitat, sternutationemque promovet. Inter arma medicinæ promptissima debet ergo reponi tabacum. Sed auxilio tali ne abutamur ? Ipsius enim diurnus usus non minùs nocet, quam efficax est, si rarò & tempestivè adhibeatur.

I I I.

CAFFE semen est durum, ovatum, plano convexum, fulcatum, flavescens vel ex viridi albicans & odoris expers. Parens arbor maneret adhuc ignota nisi batavi stirpes quasdam ex mokâ advectas in horto Amsteladamensi excoluissent ; & ex hinc in totam fermè Europem migrasset planta hæc. Ipsam in horto regio asservavit D. Clar. Jussieu descripsitque sub nomine jasmini arabici lauri folio.

Caffè arabicum dicitur etiam orientis. Quod ex insulâ javâ advehitur crassum est & albescit. Americanum quod sub Anglici vel Surinamensis nomine venditur variè concretum est & viride. Quod tandem ex insulâ Bourbonensi venit gallicum dicitur; non maximi faciunt. Ut autem caffè semen probè eligatur, habeatur adhuc virescens, mediocriter crassum, compactum suaveque gustu. Quod ex oriente advehitur pro meliori sumunt : plurimi tamen surinamense anteponunt, ex eo quod citiùs ad nos & recentior pervenit.

Ex experimentis Stonkel, Dutour, Bœcler, Houpton & D. Bourdelin constat caffè semen analisi suppeditare sal volatile, phlegma, oleum & terram ex quâ solus Houpton sal fixum non extraxit. Clar. D. Bourdelin acidum se reperiisse scripsit. Newman verò resinam detexit abundantem & etiam quid gummi.

Caffè tostum principium suave mittit & oleum aquæ supernatans quod

avidè turcæ captant. Si autem retortæ poſtea ſubjiciatur, duo, teſtante D. Bourdelin, extrahuntur liquores, acidus alius, ſulphureus alter. Undè concludas in caffè latere extractum gommo-reſinoſum, oleoſaſque particulas fixas necnon volatiles & ſuaviſſimas.

Rauvolfius & proſper alpinus primi de uſu coffe ſcripſerunt. Simon Pauli ipſum omninò prohibuit, & in talem ſententiam deſcenderunt Clar. Duncan & Hecquet. Ex his vero temporibus eximiæ caffe dotes innotuerunt, & intùs ſumptum non nocuit unquam, ſi peculiares & raros caſus excipias. Cur ergo noceret extùs.

I V.

NICOTIANA ſale acri in eâ demunſtrato pituitariam membranam titillat indeſinenter; è quâ quidem titillatione duo præcipui oriuntur effectus, 1°. irritatio vicinis partibus communicatur cujus quidem communicationis invicta præbent argumenta, ſternutatio, oculorum ſcintillatio, totiusque œconomiæ exſuſcitatio. 2°. Frequentior muci per nares effluxus, ut quotidiana comprobat experientia. Hujus autem derivationis abuſus innumera ſecum mala ducit. Longiſſimo ſimul & diuturno irritationis tractu, nervi rigeſcunt ſuoque pingui ſero privantur; undè numeroſa morborum hiſtericorum cohors, affectiones nervoſæ, capitis dolores, inſomnia, tremores. Fluxus autem immoderatus ſeri fieri non poteſt quin detrimentum patiatur humorum circulus; unde bilioſis, macilentis, ſanguine viſcidiori præditis & debilibus adeò nocet Tabacum. Adde quòd humores ad pituitariam membranam continuo allecti cauterii vices gerant: unde funeſtiſſima ipſius ſuppreſſio, difficillimaque curatio morborum qui ab eâ pendent. Variis exindè querelis reſonant actus hominum quos torquet impoſſibilis muci è naribus eductio, continua auxietas & inſomnium: in tali caſu requiritur diluens & laxans, v. g. aquæ vapor: ſed ad largiorem tabaci doſim recurrunt; fitque malum pejus.

Non nunquam eo affluxu deveniunt humores ut turgeſcat partium ambitus naribus vicinior, undè fluxiones innumeroſæque congeſtiones quæ ipſius uſu tempeſtivo debellari potuiſſent. Craſſeſcit Schneïderi membrana, anguſtior evadit narium cavitas, Euſtachianaque tuba, undè fiunt hebetes odoratus auditusque. Vox difficilis evadit & ingratè reſonat. Siccefcunt pulmones, marceſcit corpus, labia defraudantur ſuo colore, verum enim flaveſcunt, malèque olent; turgeſcunt alæ naſi, labiumque ſuperius eminet; unde difformitas vultus, virus à viris aliquot & fæmineo præſertim ſexu tantopere metuenda.

Quin imò ſæpè ſæpiùs fertur ad fauces tabaci pulvis, nauſeas excitat, tuſſimque nec unquamHemophtiſim. Sal tandem ipſius corroſivum ſubit interiora, nocivam exercet vim in primum viarum ſiſtema, ſicque vomitum (*v. Eph. Germ.*) dolores colicos, appetitus proſtrationem excitat; deindeque circulationis iter relegens omnes morbos ab acrimoniâ oriundos ſecum ducit.

Abominandi illius pulveris incommoda perſentit ipſa mens, undè ſterilis imaginatio; ingrataque fit memoria. Gravè vacillat ingenium & ebrietas quædam ipſius vſum frequentiſſimè comitatur. Quandoque(teſte Lanzoni) ſequntur vertigo, appoplexia, paraliſis. Quid dicemus de odore viroſo quem ſpirat, unde à quibusdam hyoſciamus peruvianus habetur? Plurimi tandem auctores ipſum (*v. art. Dict.*) nuncupant ſubſtantiam vegetalem putredinis initio corrptam,

V.

EX his Breviori penicillo delineatis videre eſt quam benè egerint Amurathes primus Turcarum Imperator, magnus Moſcoviæ dux, Perſarumque rex, cum ſuis tabacum interdixerint, legiſque violatores morte vel nazi amputatione mulctabantur. Eodem impulſus animo ſummus Pontifex Urbanus primus, tabacum ex eccleſiæ ſinu propulſit.

Objecta ſuperiùs malorum cohors caffè uſum non ſequeretur; tabaci, ſi quæ ſint, dotes retineret; odoreque grato novam corpori mentique vim ingereret. Volatili principio ſubiret æconomiæ penetralia undè levitas & alacritas orirentur; humores ad menbranam pituitariam eâ tantùm alliceret copiâ quæ cerebri molem ſuperabundanti ſero privaret. Hinc exquiſitiores animi ſenſus, acutioraque tùm auditûs tum olfactûs organa. Adde quod caffè pulveratum non indiſſolubilem ſecum ducat conſuetudinem, facilèque nec cum periculo ab eo ceſſare poſſis.

Objicies. 1°. Plurimi tabaci uſum gratè fuerunt experti; minimè dubitamus lubenterque fatemur quod medicamenti vices optimè gerat. Sed medicamentum in ſtatu ſano prohibendum nemo neſcit.

Objicies. 2°. Caffè non eſt tabaco ſubſtituendum acrimoniæ cauſâ. Sed ex odore, guſtu, chimicâque analiſi, nil eſt in tali ſubſtantiâ quod ſenſus non exercet, nedum lædat.

Ex quâ commodorum & incommodorum inter pulverem caffè & tabaci collatione concludas.

Ergò tabaco per nares ſumpto ſubſtitui poteſt coffè pulveratum.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS-FRANCISCUS DUCHANOY, Sequanus Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos author, A. R. S. H. 1773, à ſextâ ad meridiem

---

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.